DISPUTATIO XLVIII.

An constituti in ordine sacro, religiosi, consanguinei, affines, & quocumque alio impedimento laborantes: incurrant excommunicationem ineundo matrimonium?

SUMMARIUM.

Explicatur quot personæ ineuntes matrim. ligentur excommunicatione lata in clem. unica, de consanguinitate nec ea est reservata, num. 1.
Moniales nubentes, & qui ipsas ducunt, incurrunt, secus de femina nubenti professo, aut in sacris constituto. Et quid, si consanguineo, aut affini nubat? 2.
An incurrant mandantes consulentes, opem præstantes, & quid exigatur, ut incurrant excommunicationem latam, c. Nuper, & c. Si concubinæ, de sent. excomm. in participantem in criminoso, 3.
An incurrat Sacerdos assistens nuptiis interdictis, eas celebrandos. 4.
Triplex exigitur conditio, ut incurratur hæc excommunicatio, 5.
Non exigitur matrimonium esse consummatum, 6.
Nec satis sunt sponsalia, copula affectu conjugali subsecuta, 7.
Nec sat est, matrim. clam absque parocho, & testibus initum, 8.
Quid, si ita impeditus, fide ineat matrimonium, 9.
Quid, si ipse consenserit, altero interius, aut exterius dissentiente: aut internum consensum nec verbis nec signis exprimente, 10.
Quid, si impubes contrahat, aut pubes cum impubere, 11.
Quid, si matrimonium metu celebretur, 12.
Quid, si consensus præstetur sub conditione, Remissive, 13.
An incurratur ob matr. initum cum aliis impedimentis, aut cum affinitate imperfecta orta ex matrim. rato, 14.
Quid, si contrahatur in gradu consanguinitatis divina lege interdicto, 15.
Quid si intercedat justa dispensatio, 16.
Quid, si religiosus Societatis Jesu post simplicia biennii vota matrimonium ineat, 17.
Quid, si contrahens falso existimet subesse ea impedimenta, 18.
Quæ ignorantia excuset contrahentem cum consanguineo, vel affini, professo, vel sacris initiato: & quid, si alter sciat ignorante altero, 19.
Quid, si ignorans contrahat, at postea conscius perseveret, num. 20.
Quid, si ipsi constituti in sacris, aut professi ignorent, 21.

1 QUæstio hæc eo pertinet, ut explicetur *clem. unic. de consang.* ubi in quosdam ineuntes matr. fertur excommunicatio his verbis: *Eos, qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: nec non religiosos, & moniales, & clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, & refrenare metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes: ipsos excommunicationis sententia ipso facto decernimus subjacere.* Ex quo textu constat tria personarum genera excommunicari. Primo excommunicantur ineuntes matrim. incestuosum in gradu consanguinitatis, vel affinitatis constitutione canonica interdicto: vel sacrilegum cum moniali. Secundo religiosi, aut moniales contrahentes matrim. sacrilegum. Tertio clerici in sacris ordinibus constituti matrim. sacrilege contrahentes. Nec ea excommunicatio alicui reservatur.

2 Quare moniales professæ incurrunt hanc excommunicationem, cuicumque nubant: & similiter illas accipientes in uxores. Quod non ita evenit in femina nubente professo, aut in sacris constituto: soli enim hi incurrunt eam. Quia *clem. un. de consang.* diversimode loquitur in iis casibus: moniales enim, & cum eis contrahentes excommunicat: loquens autem de matrim. inito a professo, vel sacris initiato, solos hos excommunicat: nulla de mulieribus ab eis ductis facta mentione. Atque ita animadvertunt *Card. ea clem. un. n. 1. oppos. 4. in priori solut. Anch. ibi q fin. Bonif. n. 8. D. Ant. n. 3. p. t. 24. c. 34. Cajet. sum. v. Excommunicatio cap. 47. Nav. sum. Hisp. c. 22. n. 52. Petr. de Led. de matrim. q. 55. art. 9. dub. 1. paulo ante solut. ad argum.* Ex alio capite posset dubitari, an illam incurrat femina hæc professo, aut clerico nubens: nempe, quod participet in crimine criminoso ob quod alter in excommunicationem incidit. Sed nec ex hac parte incurrere docent bene *Card. & Anch. proxime allег.* Et constabit ex dicendis n. seq. Femina vero nubens consanguineo, aut affini, & hi eam ducentes, ligantur excommunicatione *dict. Clem. un.* Quia indifferenter excommunicat contrahentes in gradu consanguinitatis, aut affinitatis prohibito. Et ita fatentur omnes.

3 De consulentibus autem hujusmodi matrim. iniri, & id mandantibus, atque opem ad id ferentibus, ajunt aliqui eos excommunicatione ligari, quod pari pœna digna sint, utpote qui ejusdem criminis participes fiunt. Ita docent *Rosella Excom. 9. cas. 43. fin. Silv. Excomm. 1. cas. 41. dub. 8. n. 79.* Sed merito ab eis recedunt, dicentes neminem horum incurrere, *Cajet. sum. v. Excommunicatio cap. 47. & ibi Armil. cas. 45. nu. un. Tab. v. Excomm. 5. cas. 49. n. ult. Navar. summ. cap. 27. Hisp. num. 142. Lat. nu. 141. Pet. de Led. de matrim. q. 55. ar. 9. dub. 1. post dubium, quod movet circa solut. ad 9. argum. principale.* Et ratio est, quia *dict. clem. unic.* solos ineuntes matrim. excommunicat. At communior, & verissima sententia habet, tunc non comprehendi mandantes, consilium, auxilium, vel favorem præstantes. Unde optime ait *Pet. de Ledef. ib.* non incurrere hanc excommunicationem procuratorem, per quem initur matrimonium, nec parentes, qui nomine filiorum consensum in matrimonium explicant. Quia hi non sunt vere contrahentes matrimonium: sed verorum contrahentium instrumenta. Dices hos omnes saltem ligari excommunicatione lata *c. Nuper, vers. In secunda vero qu. & c. Si concubina, de sent. excomm.* ubi excommunicantur omnes participantes, consilium, auxilium, vel favorem præstando in crimine, ob quod contrahit alter excommunicationem, quod hic contingit, nam participant in eo matrimonio, ob quod illud iniens subditur excommunicationi latæ. Verum nec hanc incurrunt. Quia multo verior sententia habet, desiderari, ut is, cum quo in crimine participatur, jam incurrerit excommunicationem: & sit nominatim excommunicatus, ut expresse petitur *dict. c. Nuper*, juxta quod intelligendum est *d. c. Si concubinæ*, quod hujus conditionis non meminit. Imo cum ibi petatur scienter participare cum excommunicato, & scientia excommunicationis post Concilium Constantiense sit ejus denuntiatio, jure optimo defendunt *Navar. sum. Lat. & Hisp. c. 27. n. 112. & Hisp. cap. 28. addit. ad n. 32. c. 27. Enriq. lib. 13. de excomm. c. 9. num. 1. & 2. Emm. Sa summ. v. Excommunicatio, in prin. n. 24.* desiderari, ut excommunicatus, cum quo in crimine participatur, sit prius denuntiatus. Et bene dicit *Enriq. eod. n. 2.* non sat esse, si notorius clerici percussor sit. Quia quamvis id sufficiat ut vitandus sit: non tamen vere est nominatim excommunicatus, donec proprio nomine talis denuntietur. Quæ conditio petitur *dict. c. Nuper*, ut participans cum illo in crimine incurrat excommunicationem ibi latam. Cum igitur hi participantes in eo matrimonio participent antequam iniens contraxerit excommunicationem: (ea enim per ipsum contractum est incurrenda) & esto incurrisset, non est denuntiatus, non ligabuntur excommunicatione lata in participantes in crimine criminoso.

De parocho etiam, qui auctoritatem ei matrimonio præstat sua præsentia, conjungendo ineuntes illud, nimirum, dicendo consueta verba: Vis hunc in maritum, Vis hanc in uxorem, dicunt *Cajet. Armil. Navar. n. 141. Petr. de Ledef. nu. præced. alleg. Emm. Sa sum. v. Excomm.* ubi de excommunicatione nulli reservatis, *nu. 10. in dict. clem. unic.* excommunicari hujusmodi parochum. Fundamentum eorum me latet: nisi id sit, quod *Cajet. ibi* referens textum hujus clementinæ, referat quoque hæc verba: *Et inter eos scienter eadem celebrantes matrimonia.* Quæ verba non reperi in eo textu, quamvis diversos codices illius evolverim. Et *Rosella ac Silv. nu. præc. alleg.* eum incurrere negant ex sola auctoritate præstita, nisi auxilium, aut consilium ei matrimonio ineundo præstiterit (censent enim, ut ibi retuli, omnes auxiliantes innodari ea excommunicatione) Et *Tab. ubi num. præced. all. g.* etiam in hoc casu sentit eum non incurrere, quod verissimum esse credo. Quia in *ea clem* soli ineuntes matrimonium excommunicantur. Et si velis dicere (prout sentit *Majol. lib. 3. de irreg. c. 25. n. 15. ubi agit de voto solemni*) hunc incurrere excommunicationem, *c. Nuper, de sent. excomm.* quod participet in crimine criminoso: satis oppositum constat ex dictis num. præced.

Triplex ergo conditio petit *dict. clem. un.* ut illius excommunicatio incurratur. Prima est, ut contrahatur matrim. Secunda, cum impedimento consanguinitatis, vel affinitatis in gradibus lege canonica interdictis, vel religionis, aut ordinis sacri. Tertia, ut scienter id matrimonium ineatur.

Ex prima conditione infertur primo, incurri eam censuram, licet matrim. non sit consummatum. Quia *d. clem. un.* non punit copulam incestuosam, sed solum matrim. contractum, cujus essentia perfecta est ante consummationem, per copulam. Et ideo ita sentiunt *gl. d. clem. un. v. Contrahere, & ibi Imol. n. 9. Ang. v. Excomm. 7. cas. 41. n. 4. Silv. v. Excomm. 9. cas. 41. n. 75. dub. 1. Tab. v. Excomm. 5. cas. 49. q. 1. n. 2. Petr. de Ledef. de matrim. 55. art. 9. dub. 1. paulo ante solut. ad argum.*

Secundo deducitur, non esse locum illi excommunicationi per solum sponsalium de futuro contractum. Quia licet interdicto matrimonio censeantur quoque sponsalia interdicta: aut pœna imposita contrahentibus matrimonium (quasi est hæc) non extenditur ad sola sponsalia, & contrahentes (ut probavi lib. 1. disp. 13. n. 1. & 2.) Et ita docent *Gloss. dict. clem. unic. v. Contrahere. Et ibi Card.* referens Stephanum, & Paulum, *nu. 15. quæst. 19. Anchar. num. 7. Bonif. n. 56. Imola nu. 10. D. Ant. 3. p. t. 24. c. 34. Cajet. summ. v. Excommunicatio c. 47. & ibi Armilla cas. 45. Angel. Excommunicatio 7. cas. 41. n. 2. Silvest. Excommunicatio 9. cas. 41. nu. 78. dub. 7. Tab. Excommunicatio 5. cas. 49. qu. 1. n. 2. Navar. summ. cap. 27. Hisp. nu. 142. Lat. num. 141. Graffis 1. part. decisionum l. 4. c. 24. num. 14. Petr. de Ledef. de matrim. qu. 55. art 9. dub. 1. paulo ante sol. ad argum.* Et quamvis fere omnes hi DD. hoc temperent, nisi post sponsalia sequatur copula affectu conjugali: at id erat verum attento jure antiquo, *c. Is, qui fidem, de sponf.* quando sponsalia per eam copulam transibant in matr. At cum hodie jam non transeant attento *Trid. sess. 24. de matr. c. 1.* non incurritur hæc excommunicatio per sponsalia quantumcumque sequatur copula affectu conjugali. Quia semper manent intra solos sponsalium limites. Sic *Navar. sum. Lat. cap. 27. num. 141. Graffis eod. cap. 24. num. 15. Petrus de Ledesm. eod. art. 9. dub. 1. in dub. quod movet circa solutionem ad 7. argumentum.*

8 Tertio deducitur, nec satis esse ad hanc excommunicationem incurrendam inire matrimonium clandestinum, nimirum absque parocho duplicique teste. Quod is contractus non habeat hodie formam veri matrimonii: nec contrahentes faciant quicquid in se est, ut illud ineant. Quod colligitur ex dictis nu. præcedenti, ideo enim non sufficiunt hodie sponsalia cum copula conjugali, quia jam defectu præsentiæ parochi, & testium non constituunt legitimum consensum ad matrimonium, quæ ratio prorsus militat in matrimonio clandestino. Et ita sentit *Petrus de Ledesma de matrim. q. 65. art. 9. dub. 1. in dubio, quod movet circa solutionem ad 4.* Et clare sentit *Enriquez lib. 12. de matrim. cap. 5. num. 9.* ait enim initiatum in sacris contrahentem matrimonium coram parocho, & testibus, esse excommunicatum.

9 Quarto deducitur, nec esse locum huic excommunicationi, quando quis fide consensit. Quia *d. clem. un.* punit affectum, ac contrahendi voluntatem cum illis impedimentis, quamvis ea prava voluntas effectum suum sortiri nequeat jure dirimenti matrimonium. Hujus sententiæ aperte sunt *Glossa d. clem. un. verb. Matrimonialiter, & ibi Imola n. 8. D. Ant. 3. p. tit. 24. c. 34. Sylvest. Excommunicatio 9. casu 41. n. 78. dub. 5. Tabien. verb. Excommunicatio 5. casu 49. q. 3. n. 4.* ajunt enim contrahentem metu viri constantis matrimonium hoc interdictum, non ligari hac censura, eo quod deficiat liber consensus: ac proinde consensum petunt ut sit locus huic excommunicationi. Et in propriis terminis docent *Adrian. 4. q. 3. de matr. dub. 10. ad finem, Covar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 2. n. 8. & §. 7. n. 2. ad finem, Petrus de Ledef. de matr. q. 55. a. 9. dub. quod movet circa solutionem ad 2. conclusionem 2.* Et bene addit oppositum esse probabile, nimirum, incurri in hoc casu excommunicationem. Partem enim hanc tuebuntur, qui censent, existente impedimento dirimenti, non posse dari consensum in matrimonium, ac proinde illud non posse valere, quamvis contrahentes falso existimassent subesse impedimentum. Quos Doctores retuli l. 2. disp. 33. num. 1. Consequenter enim dicent non exigi consensum ad matrim. inter consanguineos, vel voto solemni, aut ordine impedienti, ut incurratur hæc excommunicatio. Et eamdem defendent asserentes subdi excommunicationi negantem oretenus fidem. 4

10 Major autem difficultas est: an contrahens cum consensu legitimo matrimonium hoc interdictum, incurrat hanc excommunicationem, si constet defecisse consensum in altero contrahente? *Petrus de Ledesm. de matr. q. 55. a. 9. dub. 1. in dubio quod movet circa solut. ad 3. principale*, dicit non esse omnino improbabile hunc consentientem non incurrere: at esse fere certum eum incurrere. Quia punitur affectus, & iniqua voluntas ineundi matrimonii interdicti, quæ in hoc non deficit, sed quidquid in se fuit, præstitit, ut iniret matrimonium. Et *in solut. ad 2.* fatetur incurrere etiam hunc consentientem, quamvis alter contrahens non respondeat, nec suum consensum explicet. Quamvis autem hæc sint valde probabiliter dicta: at mihi pertaedeo non incurrere, si alter non consentiat etiam interius. Ducor, quod contrahens cum consanguinea impubere, vel furiosa furoris tempore non incurrit, quamvis effecerit, quod in se est, & ex suæ parte voluntatis non sit defectus consensus, (ut dicemus num. sequenti.) Item quia *d. clem. un.* punit matrimonium initum contra illam prohibitionem, at non dicitur matrimon. donec accedat utriusque contrahentis consensus, sed solum est quoddam matrimonii initium. Quare dicendum est puniri pravam voluntatem contrahendi, quando adest consensus ex se sufficiens, ut illud sit matrimonium, nisi aliunde obstaret impedimentum, quod non evenit altero dissentiente.

11 Quinto deducitur, impuberem contrahentem matrimonium hoc interdictum non subjici huic excommunicationi. Quia is consensus non est efficax matr. sed sola sponsalia constituunt interpretationem juris, *cap. un. de sponf. impub. in 6.* Ita docent *Card. clem. un. de consang. n. 14. quæst. 18. & ibi Anchar. num. 8. quæst. 3. Imola num. 8.* Nec incurrit pubes contrahens cum impubere. Quia similiter consensus illa sola sponsalia efficit, juxta *d. c. un.* Et ita tenent *Angelus Excommunicatio 7. casu 41. num. 2. Sylv. Excommunicatio 9. casu 41. num. 78. dub. 7. Tabiena Excommunicatio 5. casu 49. quæst. 1. num. 2. Petr. de Ledesma de matrim. quæst. 55. art. 9. dub. 1. paulo ante solutionem ad argumenta.* Et quamvis *ipsemet, ibi in dub. quod movet circa solutionem ad 3. principale, in solutione ad ultimum*, hoc temperet, nisi vellet efficere totum, quod in se est ad contrahendum matrimonium. At adhuc in eo eventu verius est non incurrere, juxta num. præcedenti dicta, quia consensis alterius impuberis est inefficax, similiter non incurret contrahens cum furiosa. Ut bene dicit *Angelus ibid. nu. 3.* Et quamvis *Sylv.* limitet, & similiter *Petr. de Ledesma paulo ante solutionem ad argumenta*, nisi furiosa habeat lucida intervalla: at *Angelus* nihil aliud intellexit. Manifestum enim est incurri excommunicationem hanc ex matrimonio inito cum furiosa tempore lucidi intervalli. Tunc enim nullus est defectus in utriusque consensu. 12

Sexto deducitur, nec incurri hanc excommunicationem, si matrimonium illud metu viri constantis ineatur. Tum, quia est consensus inefficax defectu libertatis. Tum etiam, quia Ecclesia non tam gravi censura punit tanto metu compulsum. Sic tradunt *Glossa d. clem. un. verb. Matrimonialiter, Card. ibi n. 14. q. 27. Anchar. n. 8. q. 3. Imola n. 8. Bonifacius nu. 23. D. Antonin. 3. p. t. 24. c. 34. Sylv. verb. Excommunicatio 9. casu 41. n. 78. dub. 5. Tabiena verb. Excommunicatio 5. casu 49. q. 3. n. 4. Navar. sum. c. 27. Hisp. nu. 142. Lat. n. 141. Emm. Sa sum. verb. Excommunicatio*, ubi de excommun. nulli reservatis, *nu. 10. Petrus de Ledesma de matr. q. 55. art. 9. dub. 1. in dubio, quod movet circa solut. ad 5. principale.* Imo existimo, nec eum, qui libere contraxit cum talem metum patienti incurrere, propter dicta nu. 10. Claudicat enim matrim. ex parte consensus alterius contrahentis, qui defectu libertatis est inefficax ad illud incundum.

Septimo deducitur, quid dicendum sit, quando consensus esset conditionalis; ut contrahe tecum, si non es consanguinea: vel si licet cum consanguinea: vel si Pontifex dispensarit: vel cum quacumque conditione impossibili, aut turpi, quæ jure rejicitur. De quibus omnibus dixi lib. 5. disp. 1. nu. 14. & disp. 3. n. 21. & disp. 4. n. 10. & disp. 5. n. 18. 13

Octavo ex secunda conditione nu. 5. relata infertur, non incurri hanc excommunicationem, quod matrimonium ineatur cum infideli, cognata legali, vel spirituali, vel cum impedimento publicæ honestatis, vel quocumque alio dirimenti, & extra tria illa, nimirum consanguinitatis, affinitatis, voti solemnitatis emissi in religione, aut ordine sacro. Quia *d. clem. un.* solum de his mentionem fecit, & cum sit pœnalis, non est extendenda. Ita docent *Glossa d. clem. un. verb. Eos. Et ibi Card. n. 2. q. 1. Anchar. statim in princ. Imola n. 4. Bonifac. n. 10. D. Antonin. 3. p. t. 24. c. 34. Cajet. in summa verb. Excommunicatio c. 47. Rosella verb. Excommunicatio 1. casu 43. n. 2. Sylvest. Excommunicatio 9. casu 41. nu. 77. dub. 1. Navar. sum. Lat. & Hisp. c. 27. nu. 141. & Lat. cap. 22. num. 45. Tabiena, verb. Excommunicatio 5. casu 49. q. 1. nu. 2. Graffis 1. part. decisionum, lib. 4. cap. 24. n. 14. Petrus de Ledesma de matr. qu. 55. art. 9. dub. 1. paulo ante solut. ad argumenta.* Qui *dub. quod movet circa solut. ad 6. principale*, tractat de matr. inito cum impedimento publicæ honestatis, quod oritur ex matrim. rato. Ut si quis ineat cum Maria, & ea ante consummationem matrimonii defuncta, ducat ejus sororem. Et ait probabile esse eum incurrere hanc excommunicationem. At probabilius esse eum non incurrere. Quod mihi certum est. Quia impedimentum ex eo matrim. consurgens non est affinitatis, quæ ex sola carnis commixtione oritur, sed publicæ honestatis. Ut suo loco agentes de his impedimentis videbimus. 14

Nono posset aliquis deducere, non incurri hanc excommunicationem, si quis contrahat matrimonium cum consanguinea in gradu lege divina, & naturali interdicto, ut cum matre, vel sorore. Quod *d. clem. un.* expresse dicat in gradu lege canonica vetito. Sed dicendum est incurri. Tum, quia constitutio pœnalis comprehendit casum omnino similem in quo fortior ratio militat. Tum etiam, quia lex canonica prohibens matr. inter consanguineos usque ad 4. gradum, *c. Non debet, de consang.* comprehendit etiam primum gradum lege naturali vetitum, utpote qui intra 4. claudit. Atque ita vere est ille canonica lege interdictus. Sic *Gloss. d. clem. un. verb. Canonica, Card. n. 1. oppos. 3. & ibi Paulus, D. Ant. 3. part. tit. 24. cap. 34.* 15

Decimo infertur non incurri, quando legitima dispensatione initum est matr. inter consanguineos, vel affines. Quod esset culpa, & temeritas, quam *d. clem. un.* punit. Et ita docet *Gloss. ibi verb. Eos*, nemine contradicente. Quia est evidens. 16

Undecimo posset aliquis ex eadem conditione inferre, religiosos Soc. Jesu, qui professionem solemnem non emisere, sed simplicia biennii vota, non ligari hac excommunicatione ineundo matrimonium. Quia *d. clem. un.* excommunicat religiosos. Et *ibi Gloss. verb. Religiosos*, ab omnibus recepta explicat tacite, vel expresse professos. At dicendum est eos ligari, ut bene docet *Valentia 4. p. disp. 10. de matr. q. 5. punct. 3. ubi de impedimento voti, §. Porro, qui hujusmodi.* Quia *d. clem. un.* veros religiosos excommunicat. At hi sunt veri religiosi, nec sunt jam novitii, ut constat ex bulla Greg. XIV. Unde Gloss. & ceteri DD. explicarunt, quando sunt tacite, vel expresse professi. Quia communiter soli hi sunt religiosi veri. Non tamen excluditur, quin si aliqui sint vere, & proprie religiosi per vota simplicia comprehendantur sub dicta pœna. 17

Duodecimo infertur non ligari hac excommunicatione, qui putans falso subesse impedimentum consanguinitatis, affinitatis, aut voti solemnis, iniret matrim. Quia re vera non contraxit cum tali impedimento: nec *d. clem. un.* punit pravam voluntatem opere non subsecuto: ut non ligaretur excommunicatione, putans falso Petrum, quem percutit, esse clericum. Sicut annotant communiter DD. *c. Si vero, el 2. de sent. excommun. cum Glossa ibi verb. Ignoraverit.* Et ita docent *Glos. d. clem. un. verb. Scienter. Et ibi Card. in. num. 3 quæst. 4. Anchar. num. 6. quæst. 1. Imola num. 5. D. Ant. 3. p. t. 24. cap. 34. Rosella verb. Excommunicatio 1. casu 43. num. 5. Sylv. verb. Excommun. 9. casu 41. num. 77. dub. 3. Tabien. verb. Excommunicatio 5. casu 46. qu.*

46. q. 2. n. 3. Graffis 1. p. decisionum, l. 4. c. 24. nu. 14. Petrus de Ledesma de matrim. q. 55. art. 9. dub. 1. paulo ante solutionem ad arg. Navar. sum. c. 22. n. 43.

19 Ultimo infertur ex tertia conditione requisita, relata n. 5. minime incurri hanc excommunicationem, ubi ignoranter initum est matrimonium cum prædictis impedimentis. Quia d. clem. un. petit expressis verbis scienter contrahi matr. cum consanguinitatis, vel affinitatis impedimento, vel cum moniali. Quare contrahentem in his casibus excusaret ignorantia, quod omnes fatentur. At de qualitate ignorantiæ excusantis non est levis controversia. Plerique enim sentiunt excusare ignorantiam probabilem facti, & non affectatam, ut si contrahens ignoraret consanguinitatem, aut affinitatem, aut feminam esse monialem: secus si esset ignorantia juris, ut quia sciebat gradum, at ignorabat in eo interdici matrimonium, quod ignorantia facti, & non juris excuset: reg. Ignorantia, de reg. juris in 6. Sic Gloss. d. clem. un. verb. Scienter, & ibi Paulus, Card. n. 2. q. 2. Anchar. n. 1. notab. 2. D. Ant. 3. p. tit. 24. c. 34. Cajet. summa verb. Excommunicatio, casu 47. Armilla ibi casu 45. Rosella Excommunicatio 1. casu 43. num. 2. Sylvest. Excommunicatio 9. casu 41. n. 76. dub. 1. Tabiena verb. Excommunicatio 5. casu 49. q. 2. n. 3. Graffis 1. p. decis. l. 4. c. 24. num. 15. Ceterum multo verius est, excusare quamcumque ignorantiam etiam crassam juris, vel facti, dummodo non sit affectata. Quod docent Imola d. clem. un. num. 4. super Gloss. Scienter, & ibi Bonifac. n. 15. & 19. Nav. sum. Lat. cap. 27. n. 141. Emm. Sa in sum. verb. Excommunicatio; ubi de excomm. nulli reservatis, n. 10. Petr. de Ledesm. de matrim. q. 55. art 9. dub. 2. in dub. quod movet circa solut. ad 8. Et ratio est, quia d. clem. un. petit scienter iniri id matr. At quotiescumque scientia petitur ad incurrendam aliquam pœnam, exigitur dolus: ac proinde excusat quævis ignorantia, modo non sit affectata, vel ingens temeritas, (ut late probabo lib. 10. disp. 32. nu. 36. 39. & 40.) Et non obscure probant verba textus ejusdem clem. un. quæ ponderabo n. 21. Quod si alter ex consanguineis, aut affinibus, aut monialis scivit, alter vero contrahens ignoravit: incurret excommunicationem sciens, excusato ignoranti ab ea. Quia in illo reperiuntur omnes conditiones petitæ d. clem. un. ad incurrendum. Atque ita docent Gloss. d. clem. un. verb. Et moniales, & verb. Scienter, & ibi Card. n. 1. oppos. 4. & n. 2. q. 2. Paulus ibi, Imola ibi n. 4. Bonifac. n. 19. D. Anton. Rosella n. 3. Sylvest. Tabiena, Graffis, Petr. de Ledes. d. dub. circa solut. ad 8. in solut. ad 3. proxime alleg.

20 Sed quid, si ignorans contraxit, & postmodum conscius perseveravit in cohabitatione, & copula? Quidam dicunt eum non contrahere, quod d. clem. un. non puniat cohabitationem, sed contractum. Sic Gloss. ibi verb. Scienter, Card. n. 3. q. 3. Rosel. Excommun. 1. casu 43. nu. 4. Angelus Excommun. 7. casu 41. n. 1. Nav. sum. c. 27. Hisp. n. 142. Lat. n. 141. Graffis 1. p. decis. l. 4. c. 24. n. 14. Alii vero distinguunt, si copula illa ut affectu conjugali, dicunt incurrere excommunicationem, quod ea sit sufficiens consensus ad matr. constituendum nisi obstaret impedimentum dirimens. Secus si affectu fornicario. Sic Paul. ead clem. un. & ibi Anchar. n. 5. Imola n. 4. fin. Bonifac. n. 47. & seqq. D. Anton. 3 p. t. 24. c. 34. Cajet. sum. verb. Excommunicatio c. 47. & ibi Armill. casu 45. Sylv. Excomm. 9. casu 41. n. 77. dub. 2. Tabien. verb. Excomm 5. casu 49. q. 2. num. 3. Sed Petr. de Ledesm. de matr. q. 55. art. 9. dub. 1. in dub quod movet circa solut. ad 9. bene expendit controversiam hanc: & dicit Tridentin. veram fuisse hanc solutionem. Quia tunc copula habita consensu, atque affectu conjugali perficiebat matrim. secus post Tridentinum, quando quidem id jam cessavit. Quare est vera sent. Glossæ, & sequacium.

21 Tandem observandum est, textum d. clem. un. quando excommunicavit ipsos religiosos, moniales, & clericos contrahentes matrimonium, non repetiisse particulam, scienter, quam apposuerat, dum excommunicavit consanguineos, aut affines ineuntes matrimonium, aut cum monialibus. Quia licet posset ignorare quispiam, an contrahat cum moniali consanguinea, vel affini, at proprium statum ignorare nequit. Verum si adesset probabilis ignorantia in hoc eventu, excusaretur ab excommunicatione is contrahens. Ita Gloss. ad clem. un. verb. Contrahens, Card. n. 1. opp. 7. Imol. n. 14. D. Ant. 3. p. t. 24. c. 34. Sylv. Excomm. 9. casu 41. nu. 80. dub. ult. Tabien. Excomm. 5. casu 49. q. 2. n. 3. Navar. sum. Lat. c. 7. n. 141. Petr. de Ledesm. de matrim. q. 55. art. 9. dub. 1. in dub. quod movet circa solut. ad 8. Imo existimo excusare etiam in hoc casu ignorantiam, quantumvis crassam juris, vel facti, dummodo non sit affectata. Quod non obscure probant ea verba textus d. clem. un. dum fulminans excommunicationem in hoc casu, & præcedenti, sic ait: *Refrænare metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere.* At dum fulminatur excommunicatio in temere audientes, desideratur scientia, & excusat quævis ignorantia non affectata, & dummodo non sit ingens temeritas, ut probabo lib. 10. disp. 32. nu. 37.

DISPUTATIO XLIX.

An conjugatus ordines absque uxoris licentia recipiens sit irregularis: & similiter clericus in sacris constitutus matrim. iniens?

SUMMARIUM.

An Clericus in sacris constitutus matrim. iniens sit irregularis? Remissive, num. 1.
Conjugatus absque uxoris licentia recipiens ordinem sacrum, an sit irregularis, ac beneficii, & officii Ecclesiastici incapax, etiam post solutum matr. 2.
An desideretur dolus, excusetque quævis ignorantia juris, vel facti? 3.
Quid, si matrimonium præcedens fuerit nullum? 4.
Quid, si promoveatur de licentia uxoris manentis in sæculo absque voto? Refertur quædam sent. 5.
Proponitur sententia Auctoris, 6.
Quid, si uxor solum dissimularit, aut metu consenserit? 7.
An viro ingresso licite religionem, etiam Soc. Jesu, tollatur hæc irregularitas, & inhabilitas, saltem Episcopo dispensante, 8.
Vir promotus ad ordines majores absque licentia uxoris, an incurrat hanc pœnam, 9.
An incurrat pœnam motus proprii Sixti V. contra male promotos: & qualiter sit ille revocatus per Gregor. XIV. n. 10.
An si ante revocationem promotus fuisset, & ita incurrisset irregularitatem Pontifici reservatam, in eo infictam, maneat post revocationem reservatam? Referuntur suadentia partem affirmantem, 11.
Non manet reservata, 12.

1 Duo petit disputatio præsens. Alterum est, an clericus in sacris constitutus ad nuptias transiens, efficiatur irregularis? Et de hoc disputandum est in impedimento ligaminis inter agendum de bigamia. Alterum vero de pœna conjugati transeuntis ad ordines absque uxoris licentia. De qua re est disputatio præsens.

2 Et quidem si conjugatus nondum etiam consummato matrimonio ad ordinem sacrum absque uxoris licentia transeat, nequit constante matrimonio, aut eo soluto in suscepto ordine ministrare, aut ad superiorem provehi: nec potest ad officium aliquod, aut beneficium promoveri. Est expressa definitio Joannis XXII. in extrav. sua, Antiquæ de voto: ubi Gloss. verb Nec matrimonio, ait hoc procedere, sive solvatur matrimonium morte, sive ingressu alterutrius conjugis in religionem ante consummationem. Quia indistincte loquitur textus. Et verb. Officium, juncto verb. Nec ad aliquod, ait non posse promoveri hunc ad quantumvis modicum beneficium, aut officium Ecclesiæ, etiam minoribus ordinibus deputatum. Propter generalitatem qua utitur d. Extravagans. Quare hic ita promotus ad ordinem sacrum efficitur irregularis. Hanc etenim pœnam vocant irregularitatem Sotus 4. dist. 27. q. 1. a. 4. columna 12. immediate ante vers. Et per hæc. Et distinct. 38. q. 1. a. 2. conclus. 3. Covar. 4. decret. 2. part. c. 6. §. 3. nu. 2. Ant. Cucus lib. 5. instit. majorum, tit. 12. n. 222. Veracruz 1. part. Spec. a. 37. concl. 4. Majolus lib. 1. de irregul. c. 4 n. 10. Azor lib. 13. instit. moralium c. 13. q. 3. Petrus de Ledesma de matr. q. 53. a. 4. paulo post princ. §. Circa istum statum. Lud. Lopez 2. p. instruct. de matr. c. 49. col. 6. vers. Accedit ad hoc.

3 Existimo autem ad incurrendam hanc irregularitatem desiderari dolum, atque ita quamcumque ignorantiam crassam juris, vel facti, dummodo non sit affectata, nec ita crassa, ut sit ingens temeritas, excusare conjugatum sic promotum ab hac pœna. Ducor, quod d. Extravagans utatur verbo, *Non præsumat*, & statim, *Quod si secus a quoquam forsitan attentatum fuerit.* Atque ita solum præsumentem ascendere ad sacrum ordinem punit. Pœna autem præsumenti imposita dolum requirit, & excusat ab ea quævis ignorantia, quæ nec affectata, nec ingens temeritas sit, ut probabo lib. 10. disp. 32. n. 38.

4 Quid autem, si matr. sit irritum, an is conjugatus ad ordines sacros promotus incurrat hanc irregularitatem? Glos. d. Extr. Antiquæ, de voto, verb. Nec matrim. distinguit sic: si vir conscius erat nullitatis matrimonii, uxore ignara, incurrit. Quia non debet esse potior conditio hujus uxorem decipientis, quam ejus, qui legitimo matrimonio inito ad ordines migrat, contra c. Eum qui, de præb. in 6. Nec ex sua perfidia commodum reportare debet c. De eo, qui duxit in matr. Idem dicendum est, si virum latebat matrimonii nullitas. At si uterque conjux nullitatem norat, forte non incurreret. Quia cum mulier decepta non sit, & uterque conscius fuerit nullitatis, nullum præstare debet impedimentum is matrimonii contractus. Ceterum existimo non incurri hanc irregularitatem, quotiescumque fuerit matrimonium irritum, sive uterque scierit, sive ignorarit, sive solus vir norit matrimonium fuisse irritum. Quia Extravagans illa non punit deceptionem uxoris factam contrahendo cum illa cum impedimenti scientia: nec etiam solum affectum irrogandæ ordini sacro injuriæ, eo illegitime contra canonicas sanctiones assumpto ob impedimentum matrimonii: sed injuriam revera cum eo impedimento irrogatam. Qualis non est, ubi impedimentum non extat, eo quod matr. non erat verum. Quare succedet reg. juris, Non præstat, de reg. juris, in 6. non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. Et confirmatur, quia nullus diceret promotum ad ordines sacros incurrere hanc irregularitatem, si falso putabat se matrimonio ligatum, quod procuratorem destinarat ad contrahendum,

dum, qui se jam contraxisse mentitus est: vel cum jam defuncta esset uxor, ipso ignorante. At idem quoties matrim. est irritum. Quia cum vere non sit ille conjugatus, non verificatur conjugatum ascendisse ad ord. sacros, quod delictum irregularitatis pœna plectit Extravagans illa. Præterea, quia non incurreret, si vere ordinem sacrum non recepisset, quod ministrans ordines se Episcopum fingeret: aut aliquid de substantia ordinis desideratum sit. Ergo nec incurreret, ubi matrim. est nullum. Quia ut locus sit huic pœnæ, æque necessarium est, ut ascendens ad ordines sit conjugatus: & ut vere ascendat. Adde existimantem falso se excommunicatum aut suspensum esse minime incurrere irregularitatem latam contra celebrantes cum iis censuris, si celebret cum ea falsa existimatione: nec putantem se hominem perimere, cum feram perimat, fore irregularem: nec credentem se clericum percutere, cum percussus sit laicus, esse excommunicatum. Quorum omnium ratio est, pœnas has non ferri contra iniquam voluntatem destitutam veritate actus externi. Idem igitur censendum erit in nostro casu, cum prava voluntas iniquæ assumptionis ordinis caruerit veritate actus externi puniri illa irregularitate. Nec obstant arg. Glossæ. Quia respectu ordinis assumpti plus delinquit facto ipso externo, qui revera conjugatus erat. Nec hic ex sua iniquitate commodum reportat. Sed quia veritas externi facti subjecti irregularitati deficit,

5 Quæstio vero gravior est, quando de licentia uxoris vir ad ordines sacros ascendit, non servatis tamen conditionibus jure petitis, ut ascensus legitimus esset: quod uxor in sæculo absque castitatis voto permanserit? Videtur enim eum subdi huic irregularitati. Quia d. Extravagans Antiquæ, de voto, interdicens conjugato ad ordines promoveri sub irregularitatis pœna; subdit. *Nisi prout sacris canonibus noverit convenire.* At sacri canones id non permittunt uxore manenti in sæculo absque castitatis voto, ut satis diximus hoc 7. lib. disp. 39. n. 6. Et ita hujus sententiæ expresse videtur Gloss. ea Extrav. verb. Noverit, ubi explicans prædicta verba ait: *Puta de licenti conjugis, vel religionem ingredientis, vel votum castitatis emittentis in sæculo.* Idem tenent Sotus 4. d. 27. q. 1. a. 4. col. 12. immediate ante vers. Et per hæc, Bartholomæus a Ledesma de sacramento ordinis, dub. 14 col. ult. Majolus lib. 1. de irregul. c. 34. n. 1. vers. Sacros vero: at subdit posse conjugatum in hoc eventu uxore mortua ordines exercere absque aliqua dispensatione. Et utrumque repetit lib. 1. cap. 4. n. 11.

6 Sed verius est, eum non incurrere hanc irregularitatem: sed vere suscipere ordinis executionem, si obtenta uxoris licentia, etiam nullum votum emittentis in sæculo, ad ordines sacros ascendat. Quod d. Extravag. Antiquæ, aperte loquatur, quando vir absque uxoris licentia promovetur: ut ex fine ejus constat, ubi decernitur sponsum illum nolentem ad religionem convolare, esse compellendum cum sponsa illum petenti habitare, ac consummare matrimonium, quod non habet locum, quando sponsa consenserat. Caret enim actione ad repetendum, (ut dixi hoc 7. lib. disp. 39. n. 12.) Deinde quia, cum in hoc eventu possit vir castitatem servare, quam exigit Ecclesiæ constitutio, merito poterit in sacris ordinibus ministrare. Cessat enim prohibitionis ratio. Sic docet Aret. consl. 59. n. 7 fine & seqq. Et ea verba prædictæ Extravagantis. *Nisi prout sacris canonibus noverit convenire:* explicat, ut intelligatur quoad substantialia per sacros canones requisita, ut legitima sit ordinis receptio, ita ut uxori non supersit jus repetendi, licet aliqua fuerint omissa, quæ potius de ordine justitiæ, quam de substantia desiderantur. Ejusdem sent. videntur esse alii, qui indistincte ajunt non incurrere hanc pœnam conjugatum de uxoris licentia ad ordines sacros promotum, nec distinguunt, an ipsa emiserit votum, necne. Hi sunt D. Thom. 4. d. 37. q. 1. a. 2. corp. Ricar. ibi art. 2. q. 2. corp. Palud. q. 1. a. 1. n. 8. Additionat. ad Abbatem, cap. Conjugatus, lit. A. verb. Conjugatus, de conver. conjug. Astens. 2. p. sum. l. 8. t. 22. a. 2. q. 1. Sylv. Matrim. 8. q. 12. dicto 3. Viguer lib. Inst. c. 16. §. 7. vers. 9. imped. 4. Veracruz 1. p. Spec. art. 47. concl. 9. Gaeta repetit. c. Ad limina 30. q. 1. §. 4. q. 195. n. 477. Gutier. l. 1. q. can. c. 25. n. 17. fi. Barbosa rubr. ff. solut. matr. 2. p. n. 90.

7 An incurreret, si licentia, dolo vel metu viri constantis extorta esset: vel si uxor non concessisset licentiam, sed sciens dissimulasset. Quia cum in his eventibus competat ipsi uxori jus repetendi, (ut probavi hoc lib. disp. 38. n. 13. & 15.) non cessat ratio prohibitionis. Ita Ant. Cucus l. 4. Institut. major. t. 12. n. 194. At cum sit probabile uxori dissimulanti non competere jus repetendi: (ut dixi ea disp. 38. n. 14.) similem probabilitatem habebit virum tunc non incurrere hanc irregularitatem, quod cesset ratio prohibitionis, juxta n. præced. tradita.

8 Et quamvis aliqui Doctores significent aboleri hanc irregularitatem, si vir legitime transeat ad religionem, ut ante matr. consummatum, vel eo per mortem uxoris soluto; aut ea concedenti licentiam cum conditionibus jure petitis. Sic clare videtur sentire Enriq. lib. 11. de matr. c. 15. n. 9. in fine, ait enim hunc manere suspensum ab ordinis officio, nisi ad religionem transeat, aut cum eo dispensetur. Idem significant Petr. de Ledesm. de matrim. q. 35. a. 4. col. penult. vers. Ceterum tamen est, & Vega 2. t. sum. c. 34. casu 48. ubi dicunt hunc mortua uxore non posse actus ordinis exercere, nisi in religione profiteatur. At dicendum est eam irregularitatem non aboleri, sed id indulgeri ingressui religionis, ut tunc possit Episcopus cum sic promoto dispensare, & eum ad omnia efficere habilem. Quod expresse habetur d. Extravag. Antiquæ, de voto. Ubi gloss. verb. Diœcesanus, ait hanc dispensationem competere Episcopo diœcesis, in qua is conjugatus est religionem ingressus: quamvis religio illa exempta sit. Quia conditor illius Extravagantis id concedens Episcopo, bene notat aliquas religiones esse exemptas. Et desiderari Episcopi dispensationem, si ingrediatur religionem, docet etiam Sot. 3. d. 38. quæst. 1. art. 2. concl. 3. Et quamvis extravagans hoc concedens Episcopo, loquatur de conjugato tacite, vel expresse profitente. At idem credo posse Episcopum, si conjugatus ille vota biennii simplicia emittat in Soc. Jesu, quod mens Pontificis in ea extravaganti solum sit, ne dispensetur cum eo tempore novitiatus, in quo potest libere egredi, nec verus est religiosus: explicuit autem, si sit professus: quia suo tempore nullus erat religiosus, & extra novitii statum, nisi professus. Cum igitur ea vota constituant quempiam verum religiosum, & claudant liberam redeundi ad sæculum facultatem: idem dicendum est de emittenti ea vota.

9 Quod si conjugatus absque debita licentia ad solos ordines minores promoveatur, quamvis peccet: (ut dixi disp. 38. n. 6.) at nullam irregularitatem, aut censuram incurrit. Quia jure antiquo nulla erat pœna statuta conjugato absque uxoris licentia ascendenti ad ordines, præter statutum d. extravag. Antiquæ, de voto, ut bene docent Simancas lib. Institut. Catholicarum, tit. 40. num. 14. Salzedo addit. ad pract. Bernard. Diaz cap. 8. §. Sed qua pœna punietur. Nec audiendus est Aretin. cons. 59. n. 8. dicens hunc esse suspendendum attento jure antiquiori: & refert Speculatorem tit. de rescript. præsentatione, §. Ratione formæ, n. 35. vers. Item si mulier. Quia nec Speculator id dicit, nec est textus id probans. Atque proinde ut alii relati DD. testantur, sola est pœna irregularitatis lata in d. extravag. Antiquæ, at illa de solo conjugato ascendenti ad ordines sacros agit. Non ergo constitutio illa pœnalis est extendenda ad solis ordinibus minoribus initiatum.

10 Sed dices hunc incurrere suspensionem, quam tulit Sixtus V. in suo motu proprio anno 1588. quinta die Januarii, in omnes illicite ad quosvis ordines promotos, cujus absolutionem sibi reservavit. Sed dico id verum esse, si ante ejus motus proprii revocationem sit initiatus. Nam Clem. VIII. an. 1595. die ult. Februarii revocavit eam constitutionem, quoad male promotos, & promoventes, præterquam si simonia in promotione admittatur, & eam ad terminos juris reduxit his verbis: *Hac nostra perpetuo valitura constitutione supradictas litteras ad terminos sacrorum canonum, ac constitutionis felicis memoriæ Pii Papæ II. prædecessoris nostri, quæ incipit. Cum ex sacrorum, sub datis Romæ apud S. Petrum 5. Kal. Decembr. ann. incarnationis Domini 1461. Pontificatus sui anno 4. cujus tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, & ad dispositionem decretorum sacri Concilii Tridentini restringimus, & reducimus. Nec non censuras, & pœnas, in eisdem Sixti litteris contra quoscumque, præterquam contra simoniace ordinatos, inflictas, quas volumus in suo robore permanere, (aliis etiam pœnis, & censuris, per eosdem canones, & constitutionem Pii II. Conciliumque Tridentinum injunctis, salvis, & firmis remanentibus,) moderamur, & abolemus.*

11 Sed merito dubitabis, an si initiatus est minoribus ordinibus, ante ejus motus proprii Sixti V. revocationem, ac proinde ligatus est suspensione in eo lata, ac Pontifici reservata, cum expressa derogatione bullæ Cruciatæ, ac facultatis concessæ Episcopis in Tridentino sess. 24. cap. 6. de reform. dispensandi in omnibus casibus descendentibus ex delicto occulto: possit ab ea censura, & peccato ibi reservatis absolvi ab eo, qui alias poterat, ea reservatione non existenti: & videtur non posse. Quia jam peccatum, & censura reservata Pontifici incursa erant: nec Clementis VIII. constitutio ad jam incursa extenditur. Nam dum revocavit motum proprium Sixti V. non explicuit se revocare quoad præterita. Nec constitutio nova ad præterita extenditur, sed sola futura respicit, nisi in ea aliud exprimatur, ut deciditur cap. 2. de constitut. Et confirmatur, quia mos est Pontificum volentium per suas constitutiones revocatorias auferri pœnas incursas, id exprimere, ut Clem. unica de immun. Eccl. ibi: *Et quidquid ex eis secutum est, vel ob eas, pœnitus revocamus.* Et extravag. 1. inter comm. §. Non itaque, de schismaticis. ibi: *Ita quod nec etiam pro præterito tempore possint super eis aliquæ personæ impeti; quæ incurrissent eas.* Et extravag. un. Joan. XXII. de torneam. in fin. Et novissime Greg. XIV. revocans pœnas a Sixto V. statutas contra procurantes abortum, id etiam explicuit, ibi: *Ad terminos juris communis, ac sacrorum canonum, & Concilii Tridentini dispositionem tam quoad præterita, quam quoad futura perpetuo reducimus.*

12 Ceterum dicendum est pœnitus cessasse reservationem. Quia reservatio non se habet ad modum pœnæ ipso jure incursæ, sed tantum est negatio facultatis confessori, aut cuicumque inferiori absolvendi reum illum, ac proinde est velut pœna tunc infligenda remittendo illum, ut obtineat absolutionem a superiori. Si ergo eo tempore revocata sit constitutio reservans, cessabit reservatio. Sicut si quis emitteret votum castitatis, quod nunc est Pontifici reservatum, posset ab Episcopo dispensationem obtinere, eo ipso quod Pontifex ejus voti reservationem auferret. Et confirmatur, quia delinquens ante constitutionis revocationem, non punitur legis postea revocatæ pœna, si non imposita sit ipso jure,

re, ut docent *Domin. cap. fin. num. 9. de elect. in 6. Felin. cap. fin. num. 14. de constit.* Nec obstant in contrarium adducta. Quia id non est constitutionem extendi ad præterita. Cum ea pœna potius sit in posterum imponenda. Nec obstat Pontifices id aliquando explicuisse, quod id majoris claritatis gratia fecerint.

DE IMPEDIMENTO
cognationis carnalis.

DISPUTATIO L.

Quid sint consanguinitatis linea, & gradus, & stipes: & qualiter consanguinitatis gradus computentur?

SUMMARIUM.

Explicatur consanguinitatis definitio, num. 1.
Quid sint gradus, linea, & quotuplex hæc sit, 2.
Quid sit stipes, 3.
Traditur triplex regula ad computandos gradus consanguinitatis, attento jure can. num. 4. 5. 6.
Proponitur regula computandi attento jure civili, 7.
Quibus in rebus diversæ hæ computationes servandæ sint, 8.

1 Acturi de consanguinitatis impedimento, prius in præsenti disp. discutiemus ejus definitionem, ac graduum computationem. Deinde in sequentibus agemus de consanguinitatis gradibus, qui jure naturali matrimonium dirimunt. Demum de illis, qui jure Ecclesiastico. De dispensatione autem in illis est late habendus sermo in toto lib. seq. Et incipiendo ab ipsa nominis etymologia: consanguinitas dicitur quasi sanguinis unitas: consanguinei enim ab eodem sanguine originem trahunt: & menstruum mulieris, ex quo generatio fit, immediate ex sanguine afficitur. Est autem consanguinitas vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Ita definitur a *D.Th.4.d.40.q.un.a.1.* & communiter a Theologis, & Jurisperitis: quamvis a nonnullis impugnetur. At eorum impugnationibus satisfiet ex ejus definitionis declaratione. Dicitur ergo vinculum, quod consanguinei majori affectu, & necessitudine inter se conjungantur: & sic consanguinitas est formaliter ipsa conjunctio in communicatione ejusdem sanguinis fundata. Neminem enim latet speciali quodam vinculo colligari sanguine conjunctos. Quod non obscure significavit *Cic.l.1.de Officiis*, dicens sanguinis conjunctione, & benevolentia devinciri charitate homines. At omne vinculum inter homines est vinculum amicitiæ fundatum in aliqua communicatione: ex *Arist.8.Ethic.c.12.* Quare cum vinculum consanguinitatis fundetur in naturali ejusdem sanguinis communicatione, qui eo inter se connectuntur, dicuntur consanguinei. Traditur autem hæc definitio per vinculum, non quod sit formaliter vinculum: sed vinculum secundum diversas acceptiones, aut est causa, aut effectus consanguinitatis. Si enim usurpetur vinculum pro jure ipso amicitiæ, tunc consanguinitas est causa vinculi: si vero pro sanguine ipso, tunc vinculum est causa consanguinitatis. Et ita conciliantur *Ricard.4.d.40.a.1.q.1. & Sotus ibi q.1.a.1.* Ille enim existimat consanguinitatem esse vinculi causam: hic autem e contra, esse illius effectum. Dicitur autem vinculum personarum. Quia bruta ab eodem stipite procedentia non dicuntur consanguinitate conjuncta, (ut bene docet *D.Thom.4.d.40.qu.un. art.1.ad 5.*) eo quod non conjunguntur ad amicitiæ unitatem propter propagationem multorum ex uno parente proximo. Dicitur ab eodem stipite, nec additum est propinquo. Quare adversus eam definitionem insurgunt *Palud.4.d.40.q.1.a.1. & Covar.4.decret.2.p.c.6.§.6.n.1. & 3.* eam redarguentes, quod diminuta sit, ea particula non expressa. Ex ea enim universos homines consanguineos esse colligitur, utpote qui ab eodem Adamo descendunt. Sed bene *D.Thom.4.d.40.q.un.a.1.ad 1.* rem hanc explicat: nec fuit opus eam particulam explicare. Quia eo ipso, quod mentio fit in definitione de stipite, intelligitur de ita propinquo, ut virtus ejus in descendentibus perseveret. Quamvis enim virtus primi parentis Adami perseveret in omnibus descendentibus secundum similitudinem specificam: at non perseverat secundum similitudinem individuam, juxta quam avus, & parentes assimilant sibi prolem, quæ eorum imaginem, complexionisque, ac morum effigiem, refert. Nam virtus paterna non secundum totam suam perfectionem descendit in filium, sed imperfectius, & eo debilior, ac imperfectior est, quo in plures generationes derivatur, ac tandem in tot protendi potest, ut omnino debilitetur: & sic consanguinitatis ratio deficiat. Ut auctor est *D. Isidorus l.11. Etymolog. cap. 6.* & refertur *cap. Consanguinitatis 35. quæst. 4.* Redarguit similiter eamdem definitionem *Covar. eodem num. 1 & 3.* quia deficit, vel quorsum unus ab alio descendit: quia parte non addita sequeretur, Adamum, & Cain ejus filium, non esse consanguineos: quod a nullo communi stipite originem trahant. Ceterum quamvis ad rationem consanguinitatis satis sit, unum ab altero descendere, licet a nullo communi stipite procreentur; ac ob eam rationem vera consanguinitas salvetur inter Adamum, & Cain: non fuit tamen opus eam partem in definitione addere: quod res illa singularis sit: in omnibus enim aliis præter primos parentes, & ejus filios, reperitur eos a communi stipite procedere, ut pater, & filius procedunt ab avo, avus & nepos a proavo. Dicitur tandem in definitione, carnali propagatione contractum, ut sic inter Angelos excludatur consanguinitas: quamvis enim ab eodem Deo immediate processerint, at non per carnalem propagationem. Similiter etiam Eva minime fuit Adamo consanguinea, ex cujus osse formata est. Quia non fuit per carnalem propagationem. At vere, ac proprie est consanguinitas inter Christum Dominum, & Virginem beatissimam ejus matrem. Quia administravit conceptioni Christi totum illud materiæ, quod veræ matres naturales administrant. Qua ratione docet *D.Thom.3.p.q.33.art.4.corp.* generationem Christi ex parte materiæ per matrem ministratæ fuisse omnino naturalem.

2 Distinguitur autem consanguinitas per lineas, & gradus. Dicitur vero linea ordinata collectio personarum ab uno stipite descendentium diversos continens gradus: seu potius ipsæmet personæ consanguineæ collective sumptæ, ut acervus lapidum dicuntur ipsimet lapides in unum coacti. Duciturque similitudo a linea Mathematica, in qua plura ordinatim continentur puncta. Gradus est habitudo, seu mensura distantium personarum, qua cognoscitur quota consanguinitatis distantia aliqui consanguinei conjungantur. Et sunt gradus ad similitudinem graduum scalæ per quos a proximo in proximum tendimus sursum ascensuri, aut deorsum descensuri, *l. Jurisconf. vers. Gradus, ff. de gradibus.* Rursus, linea consanguinitatis est triplex, quædam ascendentium, in qua continentur personæ, a quibus origo deducitur, ut pater, avus, proavus, atavus: alia descendentium, quæ claudit personas originem ab eo stipite trahentes, ut filios, nepotes, pronepotes, trinepotes, & hæc duplex linea est re ipsa eadem. Nam eodem gradu ascenditur, & descenditur in scala, distinguitur autem ratione. Quia quatenus per illam ascenditur ad stipites, dicitur ascendentium: quatenus autem descenditur ad sobolem a stipite procedentem, dicitur descendentium. Et hæc appellatur linea recta, quod contineat directos gradus, per quos ad progenitores ascenditur, & ad progenitos descenditur: & ad neutrum latus deflectitur. Tandem est alia linea collateralis, seu transversa, in qua continentur personæ, quæ ex latere, & ex transverso junctæ sunt, a quibus nos non ducimus originem, nec ipsæ a nobis: & tamen ab eodem stipite, & sanguine descendimus, ut fratres, & eorum filii, patruus, amita. Hæc autem transversa linea est duplex, quædam æqualis, nimirum in qua continetur gradus consanguineorum æque a stipite distantium, ut sunt duo fratres, aut duorum fratrum filii. Alia vero inæqualis, nempe quando consanguinei transversi, seu collaterales, distant inæqualiter a communi stipite, in quo uniuntur, ut contingit in patruo, & amita respectu consobrini, distat enim consobrinus ab illis in secundo gradu dispari, quod patruus, & amita distent a communi stipite, nempe ab avo consobrini, in quo proxime uniuntur, in solo primo gradu; utpote qui ejus filii sunt. At consobrinus distat ab avo in secundo gradu tanquam ejus nepos. Tandem dividi solet linea in maternam, cujus scilicet est caput mater, & in paternam, cujus caput est pater. Sed distinctio hæc minime deservit matrimonio.

3 Stipes est persona illa, a qua omnes personæ, de quarum conjunctione tractatur, descendunt, & originem ducunt. Quamvis enim juxta *D. Isidor. relatum cap. Series 35. quæst. 5.* truncus, seu stipes hujus arboris consanguinitatis non sit primus parens a quo alii descendunt, sed prima ejus generatio, nempe, filii ipsius: at jam diu Ecclesia recepit primum parentem, a quo procedunt omnes, de quorum consanguinitate tractatur, esse truncum, seu stipitem, ut constat ex *cap. Ad sedem*, quod est Alexand. II. & ex *c. Parentelæ*, quod est Zachariæ Pontif. 35. *q.* 5.

4 Triplex autem solet assignari regula ad computandos consanguinitas gradus. Et traditur a *D.Thom.4. d.40. quæst. un. art.2.* quem universi Theologi sequuntur: & a *gloss. tit. de consanguin. & affin. in fin. & 35. quæst. 5. in exposit. arboris consanguin.* Quas glossas universi juris utriusque interpretes recipiunt. Prima traditur pro linea recta, duæ aliæ pro transversa. Prima regula est, quando persona, cujus gradus quæritur, est in linea recta ascendentium, vel descendentium, cum alia; si inter ipsam, & alteram personam nulla persona mediet, sunt illæ in primo consanguinitatis gradu lineæ rectæ, ut sunt parentes, & filii. Si vero inter ipsas aliqua persona, aut multiplex mediet, tunc numeratis omnibus personis, mediis, & extremis, dematur de numero illo una persona, & quot personæ restant, tot sunt gradus. Verbi gratia, nepos distat ab avo in secundo gradu lineæ rectæ. Quia sunt duæ personæ extremæ, nimirum, nepos, & avus, & una media inter ipsas, nempe pater nepotis, & ita dempta una manent duæ, & sic duo gradus. Et proavus distat a pronepote, vulgo, *Bisabuelo del bisnieto*, in tertio gradu. Quia sunt duæ personæ extremæ, nempe abavus, & pronepos: & duæ mediant, nimirum, pater, & avus pronepotis, sublata ergo una ex his quatuor, manent tres, & subinde distant in tribus gradibus.

Ratio autem hujus regulæ est, quia pater secundum se non constituit gradum, sed in ordine ad illum, qui ab ipso descendit: ergo pater cum filio ab ipso descendenti constituit primum gradum, & præterea ipse filius cum altero filio, qui ab ipsomet procedit, constituit alterum gradum. Jam igitur inter has tres personas, videlicet avum, patrem, & nepotem, dantur duo tantum gradus, Et consequenter tot sunt in hac linea computandi gradus, quot sunt personæ invicem procedentes, una dempta. Unde dum *D. Isidor. relatus cap. 1. gradu 35. q. 5.* ait in primo gradu superioris lineæ contineri patrem, & matrem: & in primo inferioris filios, non sentit solos parentes constituere unum gradum, & filios, alium, ac proinde distare inter se in secundo gradu, quod est contra priorem regulæ traditæ partem, & contra veritatem ipsam. Sed mens ejus est, parentes constituere extremum superius primi gradus, filios autem extremum inferius ejusdem gradus. Hic enim ex duobus extremis constare debet. Et ita intelligit *Sotus 4.d.40.q.un.a.2.col.2.vers. Gradus vero.* Et satis probatur ex *l. 1. §. 1. ff. de gradibus, & 6. Primo gradu, Institut. eodem tit.*

5 Secunda regula sit pro linea transversa æquali. Quando personæ, quarum gradus quæruntur, sunt in linea transversa æquali, eodem gradu distanti inter se, quo distant a communi utriusque stipite proximo. Ut duo fratres distant inter se in primo gradu, quia in eo distant a proximo stipite, in quo conjunguntur, qui est parens. Filii duorum fratrum sunt consanguinei in secundo gradu, quia in eodem conjunguntur in communi utriusque stipite proximo, qui est avus. Ratio autem est, quia cum tota, & adæquata conjunctionis horum ratio sit unio cum stipite, jure optimo computantur gradus penes distantiam ab illo; nec magis, aut minus possunt inter se distare, quam a stipite. Et ita regula hæc traditur *c. Ad sedem*, quod est Alex. II. & *cap. Parentelæ*, quod est Zachariæ Pontif. 35. *q.* 5. quod si objicias, filium conjunctiorem esse parentibus, quam fratri. Ergo inepte in eodem gradu computantur. Dic conjunctiorem esse parentibus intensiva perfectione propinquitatis; perfectior enim est propinquitas filii ad parentes, cum sit effectus ad causam, quam fratris ad fratrem: cum sit propinquitas effectuum ab eadem causa promanantium. Non autem est propinquior parentibus extensive. Hæc enim propinquitas extensiva solum attenditur penes distantiam ab eodem stipite: at non magis distant fratres inter se, quam a parentibus.

6 Tertia regula pro linea transversa inæquali est. Quoties personæ in linea transversa consanguineæ distant inæqualiter a communi stipite, eo gradu distant inter se, quo remotior distat a stipite. Ut patruus, & filius ex fratre distant inæqualiter ab avo, in quo uniuntur; ille enim distat in primo gradu, est enim ejus filius; hic vero distat in secundo, utpote qui est ejus nepos: distabunt igitur inter se in secundo consanguinitatis gradu. Hæc traditur expresse *cap. fin. de consang.* Et ratio est cur non attendatur gradus penes distantiam propinquioris, sed remotioris a stipite. Quia cum adæquata ratio propinquitatis, aut distantiæ collateralium inter se, sumatur per ordinem ad proximum stipitem, in quo uniuntur, implicat conjunctiores esse inter se, quam cum stipite. At si propinquioris habenda esset ratio ad hanc consanguinitatis computationem, collateralis distans in 2. aut. 3. gradu a stipite, esset conjunctior cum collaterali distante in primo gradu, quam cum ipso stipite. Cum illo enim esset in 1. gradu, cum hoc autem in 2. vel 3. Adde etiam, sic computatione facta penes distantiam propinquioris, fore ut minime possent gradus commode distingui. Nam quando alter esset in 1. gradu cum stipite, alter vero in 4 essent conjuncti inter se in 1. gradu, atque ita æque ac fratres. Quare graduum confusio non immodica inde consurgeret.

7 Observandum tamen est in hac graduum computatione in linea recta concordare jus canon. cum civili: ac proinde 1. regulam juris utriusque computationi deservire: at dissidere in computatione graduum in linea transversa; jus enim canonicum eos computat modo tradito in duabus posterioribus regulis: at jus civile longe aliter computat. Non enim numerat gradum, in quo altera persona distat a stipite, ut facit jus can. sed numerat gradus omnes utriusque personæ: & tot constituit gradus distantiæ inter illas, quot habent distantiæ a stipite, numeratis utriusque personæ, gradibus. Verbi gratia. Duo fratres distant a communi parente in 1. gradu, numerat jus civile gradum 1. quo uterque distat a parente, tanquam duplicem, alterum in uno fratre, & alterum in altero: & ita jure civili distant inter se in 2. gradu Similiter filii duorum fratrum distant in 4. gradu: quia quilibet distat a stipite in 2. gradu. Patruus, & consobrinus distant in 3. gradu. Quia ille distat a stipite in 1. hic autem in 2. ac subinde triplex constituitur gradus. Quare breviter pro computatione graduum in linea transversa, attento jure civili, hæc sit regula: si linea est æqualis, quoto gradu quis distat a communi stipite, toto duplicato distat inter se: si vero linea sit inæqualis, quot sunt personæ, computatis extremis, & mediis, stipite dempto, tot sunt gradus, ut duo fratres jure canonico distant inter se in linea æquali in 1. gradu, jure civili distant in duplici gradu. Patruus, & filius ex fratre distant in 3. gradu: qui sunt duæ personæ extremæ, & una mediat inter communem stipitem, nempe avum, videlicet pater illius consobrini. Ita colligitur ex *authent. de hæred. ad instit. venient. collat. 9.* & habetur *cap. Ad sedem, 35. quæst. 5.* ubi ea diversitatis hujus ratio traditur, quod leges numerant gradus, ut hæreditas ab una persona ad alteram deferatur: & ideo in singulis personis singulos perficiunt gradus. At jus canonicum computat gradus propter matrimonia: & quia hæc non possunt nisi inter duas personas consistere, idcirco duas personas in uno gradu constituit.

8 Id demum observandum est computationem graduum juris canonici servandam esse quoad matrimonia. Quia circa hæc jus civile disponere nequit. At quoad successiones, servandam esse juris civilis computationem: cujus est de his disponere. Sic *Palud. 4. dub. 40. quæst. un. a. 3. concl. 3. n. 20. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 14. §. 2. concl. 3. Alex. de Nevo cap. fin. num. 5. de consang. Lez 3. tit. 6. par. 4. Ang. verb. Matrimonium 3. impedimentum 6. init. Armilla verb. Matrimonium, ver. 22. Tabiena verb. Impedimentum, impedim. 3. nu. 2. q. 1. fin. Carrer. l. 2. de sponsal. c. 3. ad fi.* Et multos alios referens *Covar. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 6. n. 8. Lud. Lop. 2. par. instruct.* ubi de matrim. *cap. 49.* ubi de impedimento consanguinit. *notabili* 4 Addunt *Covar.* alios referens, & *Lud. Lopez* sic servandum esse tam in foro sæculari, quam in Ecclesiast. At in aliis contractibus, actibusque ceteris similibus, dicunt quamlibet computationem in proprio foro servandam esse; nimirum, civilem in foro sæculari, canonicam autem in foro Ecclesiastico.

DISPUTATIO LI.

Utrum in recta ascendentium, & descendentium linea sit jure naturali irritum matrim. in quocumque gradu in infinitum: an potius usque ad præscriptum gradum, & quotum consanguinitatis.

SUMMARIUM.

Cui usui deserviat nosse qui gradus sint jure naturali prohibiti, num. 1.
Quot quæstiones disputandæ sint, 2.
Non est idem matrimonium esse prohibitum in aliquo gradu attento jure naturæ, & esse irritum, 3.
Quæ dicantur præcepta naturalia, quotuplicia sint? 4.
Unde colligendum sit ita jure naturæ prohiberi matrim. ut sit irritum. 5.
Proponuntur argumenta probantia non esse irritum jure naturæ matr. inter parentes, & filios, 6.
Est irritum jure naturæ inter parentes, & filios 7.
Idem esset perseverante natura integra, Adamo non peccante, 8.
Non est ita intrinsece malum, quin Deus dispensare possit, 9.
Quid, si esset necessarium ad speciei conservationem, ut si soli pater, & filia, aut filius, & mater superessent, 10.
Solvuntur argumenta, 11.
Post num. 11. *invenies alia summaria.*

1 Disputatio de gradibus consanguinitatis, & affinitat. jure naturæ impedientibus, ac dirimentibus matrimonium, non exigui momenti est: valde enim ad duo confert. Alterum est, ut dignoscantur gradus, in quibus Pontifex dispensare potest. Nam recepta sententia est, ut lib. seq. latius videbimus,) illi non esse permissam dispensationem in gradibus lege naturali divina interdictis: concessam autem, ubi sola lex canonica obstat. Alterum vero, ut innotescant, quando infideles ad fidem reducti, a matrimonio tempore infidelitatis inito separandi sint. Si enim conjuncti sint in gradibus jure naturali irritanti vetitis separandi sunt: secus si sola lege can. ut definitur *cap. Gaudemus, de divortiis*. Quippe illi non subsunt legi canonicæ, bene autem naturali.

2 Potest igitur disputari quæstio hæc in gradibus consanguinitatis & affinitatis: insuper in utrisque in linea recta, & in transversa. Et quidem in præsenti solum est sermo de gradibus consanguinitatis: nam de affinitatis gradibus agendum est in ipso affinitatis impedimento. Præsens ergo disp. instituitur de consanguinitatis gradibus in linea recta: subsequens autem de linea transversa aget. In hac autem disputatione triplex quæst. agitanda est. Prima, an in primo gradu lineæ rectæ sit irritum jure naturæ matr. ut inter parentes: & filios? II. an prohibitio in ea linea protendatur in infinitum? III. esto non protendatur in infinitum, usque ad quotum gradum;

3 Quæstio I. An in 1. gradu lineæ rectæ ascendentium, & descendentium, & nimirum inter parentes, & filios, sit ita jure naturæ interdictum matrimonium, ut sit irritum. Tria præmittenda sunt, ut clarius procedamus. Primo præmittendum est, non eo ipso, quod matrimonium jure naturæ interdicatur in aliquo gradu, consequi eodem jure ipsum irritum fore. Quod constat, quia matrimonium contra priorem sponsalium fidem, aut adversus simplex castitatis votum initum, adversatur juri naturali dictanti fidem Deo per votum, & homini per sponsalia datam præstandam esse, cum tamen constet in neutro eventu matrim. fore irritum. Atque ita animadvertunt *Victoria relectione de matr. 2. par. partis secundæ, nu. 1. & 2. Sot. 4. d. 40. quæst. un. art. 3. col. 5. vers. At vero fortasse, Ledesm. 2. p. 4. quæst. 56. art. 4. col. 3. §. Et pro decisione. Veracruz 2. par. Speculi, art. 25. pag. penultima, §. Contra istorum. Valentia 4. part. disp. 10. quæst. 3.* ubi de impedimento consanguinitatis, *§. Secundo convenit. Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 54. art. 3. diffic. ultim. notabili 3. Ludovicus Lopez 2. par. instru. de matr.*

matr. cap. 49. ubi de impedimento consanguinitatis, f. 1138. col. 2. fin. Vega 2. to. sum. c. 34. casu 163. Barth. a Ledes. de matr. dub. 37. col. antepenult.

4 Secundo præmittendum est, ea dici naturalia præcepta, quæ solo naturali lumine, sine aliquo discursu, aut saltem facillimo dignoscuntur, & apud omnes nationes bene institutas sunt eadem, habentque eamdem rectitudinem. Et hæc quidem, aut prohibent rem ita intrinsece malam: ut nulla ratione in nulloque eventu cohonestari possit: quale est mentiri, aut fornicari. Vel rem semper malam, & apud omnes, talem tamen, ut ratione, extremæ indigentiæ excusari possit; ut est furtum.

5 Tertio præmittendum est, ex quibus deduci possit prohibitio matrimonii, ejusque irritatio jure naturæ. Prohibitio quippe debet colligi ex eo, quod rationi naturali apud omnes nationes ipso lumini naturali dictante repugnet. At ea ratio non sufficiens erit ad ejus irritationem deducendam, (ut n. 3. probavi.) Quare irritatio petenda est ex ipsa natura, & intrinseco matrim. fine qui est sobolis procreatio, & remedium concupiscentiæ. Si enim naturæ ipsi, & fini opponatur, irritum erit: quod si natura, & finis matrimonii illæsa maneant, & ex aliqua sola extrinseca circumstantia jus naturale violetur, ex tali matr. contracto, erit quidem jure naturali interdictum, validum tamen. Ut contingit in matrim. contra votum simplex castitatis, aut priora sponsalia celebrato. Et ita colligitur clare, ex Victoria relect. de matr. 2. p. partis 2. n. 5. Soto 4. d. 41. qu. un. a. 3. col. 4. vers. Quod ergo nostra. Ledes. 2. p. 4. q. 56. a. 4. f. 486. col. 4. §. Præterea lex Evangelica. Barth. a Ledes. de matr. dub. 42. improbat. concl. secundæ, ubi eo probant matrimonium in linea transversa affinitatis non esse irritum jure naturæ, quod non adversetur primario, nec secundario matrimonii fini. Et D. Thom. 4. dubio 40. quæst. unica, art. 3. corp. volens probare fore jure naturæ irritum matrimonium initum inter parentes, & filios, ex ipsa matrimonii natura, & fine id probavit: eisdemque rationibus usi sunt ceteri Theologi. Et ratio est manifesta, quia sola adversantia rei naturæ, & ipsius intrinseco fini, substantiam ipsius destruunt: ac proinde illa sola irritabunt. Ex his igitur investiganda erit irritatio matrimonii attento solo naturæ jure.

6 Difficultas ergo præsentis quæstionis eo pertinet, ut discutiamus num matrimonium in primo gradu lineæ rectæ, nempe inter parentes, & filios, adversetur substantiæ, aut fini intrinseco matrimonii, ut vel inde colligamus, an ita sit jure naturæ prohibitum, ut eodem jure irritetur. Et videtur non esse irritum; quod quidem deducitur, si probaverimus id matr. nec naturæ ipsius nec fini adversari, nec apud omnes nationes solo lumine naturali existimatum esse prohibitum. Primo ergo prob. non adversari naturæ matrimonii. Quia possunt parentes, & filii mutuam sibi corporum potestatem tradere, tanquam illorum veri domini, ad individuam vitam transigendam in quo consistit substantia matr. Nec fini primario adversatur. Potest enim inde subsequi generatio prolis: & tantum abest, ut rectæ ejus educationi obsit, ut potius mirum in modum ei deserviat. Nihil enim ita conducit bonæ prolis educationi, ac mutuus amor, mutuaque conjugum habitatio. Quæ maxime servantur inter parentes, & filios inter se conjugatos. Nec etiam secundario fini repugnat: imo ad extinguendum libidinis ardorem conducit. Quia ex convictu maris, & feminæ quorumcumque excitari solet sæpius ardor concupiscentiæ, & maxime inter parentes, & filios, ob incautam, & nimiam familiaritatem. Qui utique extinguetur matrim. inter ipsos inito. Et confirmatur, quia eo magis satisfit effrænato libidinis ardori, quo inter conjuges ardentior est amor: atque unius augmentum minuit appetitum extranei coitus, cum igitur parentes, & filii multo arctiori amore connectantur, quam extranei matr. copulati; illud conjugium plus deserviet fervori concupiscentiæ extinguendo. Secundo, quia non repugnat huic conjunctioni conjugali æqualitas inde consurgens inter filios cum parentibus, quibus per omnia eos subditos esse oportet: nec superioris capitis, quæ consurget in filio, cui mater nupserit. Nam æqualitas inter parentes, & filios quoad aliquid, non repugnat omnimodæ subjectioni ratione filiationis debitæ. Ut si parentes, & filii contractum societatis in re familiari inirent, æquales essent in eo contractu, non diminuta filiali subjectione. Nec illi similiter adversatur, filium aliqua ratione superiorem esse. Ut si filius crearetur judex, aut Episcopus. Tandem, quia non apud omnes nationes, lumine naturali ductas, nefas existimatum est parentes cum liberis matrimonio copulare. Nam apud Persas hæc connubia admittebantur, ut referunt Strabo l. 15. ad finem, Athenæus lib. 5. cap. 14. Q. Curtius l. 7. Tertullianus in Apologetico, cap. 9. D. August. lib. 3. quæst. in Levit. cap. 61. Hieron. lib. 2. in Jovinianum. D. Chrysost. in 2. p. homiliarum in D. Matth. homil. 2. & in serm. Pentecostes, ad fin. D. Clemens l. 9. recognit. Et idem de Assyriis, & de Parthis testatur Lucan. lib. 4. Et de Medis, & Æthiopibus, Indis, & Scotis testatur D. Hieronym. leg. 2. in Jovinian. Et de Hibernis Strabo l. 4. Et de Natura regione testatur idem Curtius lib. 8. Et de Nomadum natione refert D. Chrysost. 2. Paul. ad Corinth. homil. 8. Constat ergo ex his, matrimonium inter parentes, & filios non esse jure naturæ irritum.

7 Verum apud omnes DD. compertum est, matrimonium in 1. gradu consanguinitatis lineæ rectæ, nempe inter parentes, & filios, esse jure ipso naturæ irritum. Prob. primo, quia omnes gentes bene instructæ, solo naturæ lumine edoctæ, nuptias inter hos nefandas existimarunt: & Persæ ea connubia permittentes, notantur tanquam barbari, ut a Tertulliano in Apologetico cap. 9. a D. Aug. lib. 3. quæst. in Leviticum, quæst. 61. D. Chrysostom. homil. de Pentecoste, in fine, Theodoret. libro de legibus. Unde Catullus in Gellium impia, & nefanda ea conjugia vocat, sic dicens:

Nascatur magus ex Gelli matrisque nefando
Conjugio, & discat Persicum aruspicium.
Nam magus ex matre, & nato gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia religio.

Et Ovidius lib. 7. Metamorphoseos ferina vocat hæc connubia, sic dicens:

Dextera Syllene est, in qua cum matre Menophron
Concubiturus erat sævarum more ferarum.

Et Arist. lib. 2 Politic. c. 2. inde reprehendit uxorum communionem: quia sequeretur filios parentibus jungendos. Et D. Ambr. epist. 66. ad Paternum dicit, connubium patris cum filia pugnare cum lege naturæ in singulorum cordibus scripta. Secundo, quia etiam bruta instinctu quodam naturali ducta, concubitum cum parentibus refugiunt, ut testantur Arist. leg. 9. de hist. animal. c. 47. & Plinius l. 8. natur. historiæ, c. 42. ubi Camelos, & equos non posse adigi, ut cum matribus admisceantur, duo mirabilia exempla referentes narrant. Tertio, quia etiam Gentes abhorrent matr. fratrum cum sororibus, (ut disputatione sequenti probabo) nedum parentum cum filiis. Quarto, quia ea conjunctio adversatur quodammodo substantiæ ipsius matr. cum enim hoc sit quidam contractus, & conjugalis amicitia, desiderat duo extrema distincta, quorum unum non sit alterius pars. Juxta id Genes. 2. Et erunt duo in carne una. At filii sunt quædam parentum pars. Non ergo possunt matrimonio jungi. Et confirmat. quia cum sint una caro per conjunctionem naturalem, non sunt naturaliter habiles ut ex eis denuo fiat una caro: ad quod tendit conjugium. Unde Adamus Genes. 2. afflatus Spiritu sancto antequam pronunciaret conjuges effici unam carnem, exclusit parentes a liberorum conjugiis, significans id dictante ipso naturæ jure alios a parentibus debere esse liberorum conjuges, ibi: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ 5. quia adversatur primario matr. fini non simpliciter, ex concubitu enim parentum cum filiis potest subsequi proles, atque apud eos educari: sed ut convenienter fiat, natura enim matr. ut convenienter ineatur ad generationem prolis, petit uxorem esse viro subditam, ac ejus sociam, eique parem in actu conjugali. At repugnat naturæ filium æqualem, ac socium parentibus fieri in quodam actu naturali; quamvis in contractu civili societatis id non dedeceat: ubi æqualitas est parvi momenti, ac facile dissolvi potest contractus ille. Insuper repugnat ei conjunctioni conjugali reverentia parentibus præcepto naturali a filiis debita. Huic enim reverentiæ maxime adversatur conjugalis actus, qui sine turpitudine quadam, & irreverentia exerceri nequit, ut testatur D. August. lib. 15. de civit. Dei, c. 16. Tandem quia repugnat fini secundario matr. qui est concupiscentiam reprimere, quod parentes, & filii in eadem domo habitent, & assidue noctu, & interdiu simul versentur: quamobrem si natura inter eos non irritasset matr. maximus incestibus aditus pateret. Quippe facilius cum eis peccata hæc perpetrantur, cum quibus jus est matr. ineundi. Insuper juncti amore naturali sanguinis, & conjugii, vacarent effrænatæ libidini. Et ideo hanc sent. cum D. Thom. 4. d. 40. q. un. a. 3. corp. universi Theologi, & juris utriusque professores, nemine discrepante tenent, & quamvis nec D. Thom. nec plerique ex antiquioribus explicent id matr. jure naturæ esse irritum, sed tantum dicant esse contra jus naturæ: at vere rationes, quibus ad id probandum utuntur, ostendunt eorum mentem esse, jure naturæ irritari. Idque nominatim explicant dicentes nulla humana potestate dispensari posse ut id matr. valide ineatur. Cajet. 2. 2. q. 115. art. 9. circa solut. ad 3. Loazes de matr. Regis Angliæ, dub. 2. in solut. ad 2. fundamentum partis negativæ, nu. 3. Ruardus Tapper. art. 20. Lovaniens. pag. 6. immediate ante §. Ex quibus manifestum est. Sot. 4. d. 40. q. un. art. 3. concl. 2. Ledesm. 2. p. 4. qu. 56. art. 4. col. 3. in prima propos. Veracruz 2. p. speculi, art. 22. conclus. 1. Viguer. lib. Institut. cap. 16 §. 7. vers. 9. impedimento 5. Palacios 4. d. 40. disput. un. col. 18. vers. Porro autem. Angl. Florib. 1. p. de matr. quæst. 13. d. 3. diffic. 1. Barth a Ledesm. de matr. dub. 37. concl. 2 Enriquez lib. 12. de matr. c. 9. n. 3. Valentia 4. p. disp. 10 q. 5. punct. 5. ubi de cognationis impedimento, §. Quarto convenit. Ludovicus Lop. 2. p. instr. de matr. c. 49. ubi de consanguinitate, fol 1139. col. 1. Petrus de Ledesm de matr. q. 54. art. 3. diffic. 1. concl. 1. Vivaldus candelabro sacram. 1. par. ubi de matr. n. 189. bene addens id verum esse, quamvis filius illegitimus. Id enim suadent rationes allatæ.

Quod non tantum in statu naturæ corruptæ verum habet, imo 8
si natura integra permaneret Adamo non peccante, idem dicendum esset. Et ita Adamus ante lapsum protulit verba, quibus significavit parentes a conjugio liberorum excludi. Quia quamvis in eo statu non essent inordinati concupiscentiæ motus, filii tamen parentibus eamdem reverentiam, quam modo, deberent: cui matrimonium inter eos repugnat, & ita docent Sotus 4. d. 40. quæst. unica, a. 3. col. 10. vers. Quid si sciscitaris. Enriquez,

Barthol. a Ledesma, Ludovicus Lopez, num. præced. allegati.

9 Non tamen est ita intrinsece malum, ac mendacium: atque ideo posset Deus optimus maximus dispensare, ut id matrim. iniretur. Quia nullus gradus tollit omnino finem matr. licet aliquo modo impediat. Ex eo enim conjugio nasci possunt liberi, & educari, & ita innuit Cajet. 2. 2. q. 154. a. 9. circa solut. ad 3. ad fin. & tenent Sotus d. 40. q. un. art. 3. col. 11. vers. Igitur quidquid. Ledesm. Lud. Lopez num. 7. allegati. Bellarm. l. 1. de matr. c. 28. col. 3. notab. 3. Barth. a Ledesm. de matr. dub. 37. col. 7. vers. Ex his jam aperte. Petrus de Ledesma de matr. q. 54. art. 3. diffic. 1. concl. 2.

10 Diffident autem Doctores, an ita malum sit, ut in nullo eventu citra specialem Dei dispensationem liceat? Quidam enim affirmant: ac proinde ajunt non licere in casu extremæ indigentiæ, ut si soli filius, & mater, aut pater, & filia in mundo superessent. Quod matr. illud cadat super indebita materia, & naturaliter ad illud inhabili. Ita Cajet. Ledes. Lud. Lop. Petrus de Ledesm. concl. 3. Loazes n. 9. allegati n. 7 & Sotus l. 2. de just. q. 3. a. 8. ad 4. Idem visus est sentire: tantum enim dixi non prorsus carere probabilitate contrarium. At verius est tunc licere. Primo, quia sic D. Chrys. hom. 44. in Genesim, & D. Ambrosius l. 2. de Abraham c. 6. excusant filias Loth a culpa, dum cum patre concubuere: existimabant enim nullum virum superesse, qui generationi deservire posset. Genes. 19. Deinde, quia malum ordinis inferioris cohonestari potest propter superioris ordinis bonum: ut damnum vitæ propter bonum rationis, cum ergo malum privatum irreverentiæ paternæ consurgens ex tali matr. sit inferioris ordinis respectu boni communis, ad quod spectat conservatio speciei, poterit cohonestari. ut huic consulatur. Atque ita docent Mart. de Magistris tract. de intemperant. q. de incestu. Sotus 4. d. 40. q. un. art. 3. col. 11. vers. Igitur quidquid. Verac. 1. p. speculi, a. 43. immediate ante 2. concl. Palacios 4. d. 40. disp. un. col. 24. fol. 926. Angles, Enriquez, Vivaldus n. 190. citati n. 7. Valentia 4. p. disp. 16. q. 5. punct. 3. ubi de cognatione, §. Quin etiam Barth. a Ledes. citatus n. 9. Vega 2. tom. sum. ca. 34. casu 125. Cannedo summa sacram. ubi de matr. cap. 6. ubi de consanguinit. n. 43. in commento.

11 Ad arg. nu. 6. proposita resp. Ad 1. id matrimonium non adversari simpliciter, & omnino substantiæ matrimonii, & ejus fini: at adversari debito ejus ordini, & convenientiæ: ut ostendimus nu. 7. in 4. & 5. rationibus. Ad aliam partem primi argumenti, & ejus confir. dic, quamvis ex ea parte aliquo pacto deserviat id matrimonium temperando concupiscentiæ ardori; ex alia parte magis inflammari, ut probavi nu. 7. in ultima ratione. Adde experientia teste ex mutua parentum, & filiorum habitatione non inflammari veneris ardorem inter illos: eo quod natura ipsa id dictante sit tam nefanda inter illos conjunctio, quod longe aliter eveniret, natura illorum connubia permittente. Ad 2. quoad priorem partem constat ex dictis n. 7. in 5. ratione. Quoad posteriorem partem, dic judicem aut Episcopum fungi publica auctoritate, ratione cujus præcellit omnes alias privatas personas. At maritus in matrimonio privata auctoritate est superior, Repugnat ergo, ut idem homo sit privata auctoritate superior, & inferior. Adde Episcopum, & judicem sæcularem superiores esse in gubernatione spirituali, & civili ac politica: quam superioritas paterna, & mariti non respicit: sed tantum est quoad gubernationem domesticam. At repugnat matrem respectu ejusdem filii, ac ejusdem gubernationis domesticæ, superiorem esse, ac inferiorem. Ad ultimum constat ex dictis num. 7. in prima ratione, ut probavi eas gentes barbaras reputatas fuisse.

SUMMARIUM.

Refertur sententia asserens matrimon. in recta linea ascendentium, & descendentium prohiberi in quocumque gradu in infinitum, n. 12.
Proponitur contraria Auctoris sententia, 13.
Solvuntur argumenta, 14.
Post num. 14. invenies summaria, quæ desiderantur.

12 QUæstio II. An prohibitio, & irritatio matrimonii inter ascendentes, & descendentes jure naturæ inducta protrahatur ad quemcumque gradum in infinitum? Affirmant quidam (licet non omnes explicent quo jure id fit: at nominatim explicabo, dicentes id esse jure naturæ inductum.) Ducuntur, quod natura respuat matr. inter parentes, & liberos ratione reverentiæ illis ab his debitæ. At major subjectio, & reverentia debetur ascendentibus remotioribus: & eo major, quo ascendens remotior est. Et quamvis hominum ingratitudine, seu potius ascendentium remotiorum morte, amicitia inter ascendentes, & descendentes remotiores evanescat non tamen ob id tollitur naturale reverentiæ, & subjectionis debitum. Repugnat igitur naturæ æqualitas socialis matrimonii inter hos, 2. quia licet in gradibus remotioribus minor sit propinquitas sanguinis ac proinde minor indecentia conjugii appareat, quam inter parentes, & liberos, at est major inæqualitas ætatis, & consequenter major indecentia ratione illius: & subinde defectus ille propinquitatis compensatur inæqualit. hac. Tertio, quia omnes ascendentes habent rationem principii jure naturali, ac subinde rationem superioris, & ideo Christus Servator noster appellatur Matth. 1. filius Abrahæ, & David, a quibus remotissime descendit. Ergo jure naturali impeditur æqualitas per matrimonium constituenda. Ultimo, quia jure civili statutum est, prohibitionem hanc nullis finibus contineri: sed in infinitum protrahi, Inst. de nuptiis, §. Ergo non omnes l. Nuptiæ 53. l. Et nihil, 54. ff de ritu nupt. ubi & ad ascendentes illegitimos extenditur, & l. regia 4. fin. t. 6. p. 4. Nec eæ leges jure canonico corriguntur. Quippe c. Non debet de consang. & affin. ubi consanguinitas ad 4. restringitur gradum, intelligendum est de consanguinitate in linea transversa: in qua ex ulteriori prohibitione non modica damna pullulabant. Quæ fuit restrictionis illius ratio: non autem de consanguinitate in linea recta: ex cujus infinita prohibitione inducta per jus civile, nullum consurgit damnum, cum prodigium sit naturæ id matr. appeti. Nec per verba generalia credendum est abrogatum esse jus civile continens prohibitionem juris naturalis, aut saltem illi valde consonam. At ubi jus civile non corrigitur per canonicum, est servandum etiam quoad matr. (ut probavi lib. 1. disp. 6. n. 24.) Quare patroni hujus sententiæ ex ea inferunt, Adamum hodie resurgentem nullam uxorem ducere posse: utpote qui communis universi generis humani parens est, & ideo hanc sententiam sustinent ex jurisperitis Gloss. 35. q. 5. in expositione arboris consanguinitatis, vers. Quæro an inter ascendentes, gl. l. Nuptiæ, v. Ad infinitum, ff. de rit. nupt. & Inst. de nupt. §. Ergo non omnes, ver. in infinitum, & ibi Angelus n. 2. Host. sum. t. de consang. n. 9. juncto n. 17. q. 6. Abbas c. Non debet, n. 8. de consang. ibi Card. paulo post princ. Præpos. n. 10. Henricus n. 1. Alex. de Nevo ibi §. Probibitio, n. 7. & 8. Anchar. c. fin. n. 1. eodem t. Imola c. Litteras, n 12. de restit. spoliat. Alber. in suo dictionario, littera I. verb. Impedimentum 5. Astensis 2. par. sum. lib. 8. t. 17. art. un. q. 2. & t. 25. a. un. fin. Joan. de Friburgo in sum. confessorum, l. 4. t. 6. q. 7. Lambertinus de jurepatronatus, l. 2. p. 2. q. 9. art. 18. nu. 10. Supplem. summæ Pisanæ, v. Impedimentum, impedim. 5. nu. ult. & ibi. Tabiena impedimento 3. q. 3. n. 4. Silv. ver. Matrim. 8. q. 6. dist. 5. Armilla ver. Matrim. n. 25. Montalvus l. 4. paulo post princ. t. 6. p. 4. & ibi Greg Lop. verb. Nunca, Brunellus de sponsalib. concl. 23. n. 4. Covar. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 10. nu. 4. Anton. Cucus l. 5. inst. major. t. 12. n. 72. & t. 13. n. 3. & 6. Gaeta repet. c. Ad limina 30. q. 1. §. 4. qu. 132. n. 358. Matienzo lib. 5. recept. t. 1. rubr. gl. 1. n. 176. Lancelot. inst. juris canon. l. 2. t. de triplici cognatione, ubi de consanguinit. §. Constitutum igitur, verb. Quartum. Humada p. 1. t. 1. lib. 2. gl. 2. n. 24. Soaccius de spons. 2. p. super Instit. de nuptiis, §. Ergo non omnes, n. 9. Et ex Theologis Scotus 4. d. 40. q. un. a. 2. & ibi Durandus q. un. n. 9. & 10. Ricard. a. un. q. 4. Palud. q. un. a. 3. concl. 1. n. 15. Mayronis qu. un. diffic. 1. Majoris q. 2. arg. 2. propos. 3. Supplem. Gabrielis q. un. ar. 2. concl. 1. Bassolis q. un. a. 2. Guillielm Rubion q. 1. a. 2. concl. 2. D. Ant. 2. t. 1. c. 14. §. 2. Abulens. l. 1. Reg c. 8. q. 151. 152. 155. Victor. sum. ubi de matrim. n. 295. Petr. de Soto lect. 10. de matr. propos. 1. Francis. Somnius l. 1. demonstr. tract. 7. de matr. c. ult. Philippus Archintus in edicto fidei, p. 2. c. 14. Ambr. Catharinus lib. 6. contra Cajet. c. de matrim. Viguerius l. inst. c. 16. §. 7. vers. 9. imped. 5. Toledo l. 7. sum. c. 5. in fine. Bellar. l. 1. de matrim. c. 28. paulo post princip. Vasquez 1. 2. q. 74. art. 8. disp. 112. nu. 7. Petrus de Ledesma de matr. q. 54 ar. 3. diffic. 2. concl. unic. Philiarc. de offic. sacerd. t. 1. p. 2. l. 2. cap. 12. §. Consanguinitatis, & affinitatis. Vivaldus candelabr. sacr. 1. p. ubi de matr. nu. 191. Cannedo summa sacr. tract. de matr. c. 6. ubi de consanguin. n. 43. & dicit esse probabilissimum, & vere ita est) Barth. de Ledesm. de matr. dub. 37. concl. 4. Atque hanc prohibitionem esse de jure naturæ explicant Scotus, Durand. Ricard. Supplem. Gabr. Palud. D. Anton. Abulens. Petrus de Soto, Armilla, Covar. Viguier. Humada, Vasq. Petrus de Ledesm. Cannedo. Et eodem jure irritare matr. declarant Abul. ea q. 175. Viguierius, Petrus de Ledesma.

Ceterum probabilius est, ad aliquem gradum eam prohibi- 13
tionem terminari. Ratio potissima est, quia cum consanguinitatis ratio sit participatio ejusdem sanguinis communicata a virtute generante stipitis, & hæc eo debilior reddatur, quo in plures generationes protenditur (ut explicui disp. præced. nu. 1.) nequit in infinitum extendi, sed tandem extinguetur, ac deficiet. Ergo impossibile est in quacumque linea consanguinitatem in infinitum protrahi: ac subinde dicendum necessario erit impedimentum hoc consanguinitatis in recta linea certis finibus, attento jure naturæ contineri. Quod si jus humanum spectemus, jus canonicum, c. Non debet, de consang. & affint. omnes consanguinitatis gradus matr. obstantes intra quartum gradum conclusit: nec distinxit an linea esset recta ascendentium, an potius collateralium transversa. Nec refert jus civile statuisse impedim. hoc in recta linea in infinitum. Quia solius juris canonici est inter fideles matrimonii impedimenta decernere: nec quidquam confert prohibitio juris civilis, nisi expresse jure canonico approbetur (ut probavimus hoc 7. l. disput. 3.) At hæc prohibitio non est jure canonico approbata: quin potius reprobata d. cap. Non debet. Insuper probatur rationibus, quas n. 19. referam ad probandum in solo primo gradu id matrimonium jure naturæ irritari. Et ita docent universi Doctores, quos nu. 15. & seq. usque ad 20. referam: omnes enim illi fatentur prohibitionem hanc certis finibus contineri, ac solum discrepant circa gradus: ut statim videbimus.

Ad arg. proposita n. 12. respondetur. Ad 1. & 3. consta- 14
bit ex dicendis, nu. 19. & 23. Ad secundum dic, ætatis dispa-

rita-